



6  
COMMENTA-  
RIUS

AD

1631

L. Imperator ff. de ap-  
pellationibus.

Ex

PUBLICIS RELECTIONIBUS.

Auctore

CYRIACO HERDESIANO J. U. D.  
& Pandectarum Professore.

M. DC.



XXXI

FRIDERICUM *Gartman*/TYPO-  
graphum & Bibliopolam in Includâ Electorali  
Brandenburgica Urbe Francofurtana.





Riscis Romanorum Praesidibus  
provincias introeuntibus Lautia vel  
Xenia offerre, ipsos Principes auro co-  
ronario, & id genus obsequiosa fidei  
tesseris incolumeis salutare, nullaq; o-  
operis ac operibus letitia depromere  
argumenta, juris fuit ac moris prisci.

Postquam igitur Sereniss. ELE-  
CTOR BRANDEBURGICUS,

oculissimus Patria Pater, oculis verè paternis totis ev τ ε γ ο σ ω η γ η  
ο π ί ο σ ω ad munimenta domus suae, soliq; genitales subditos auspi-  
cato rediit, rebus maximis, inter caelo terraq; prodigia, inter  
ferventes curarum fluctus ac negotiorum procellas, in Pacis  
boniq; publici portum gloriosè importatis longè latèq; dominan-  
tibus Regibus Patruelibus induciarum nexu conciliatis, Bellone  
favillis cautè sopitis, & hinc Partà Borussia tranquillitate, quin  
que rerum humanarum ac divinarum fulcimentum, concordia  
cunctis firmatis.

Ex quo tantum ejus Celsitudini, imò majus laudis, quod  
de S. Nasica Valerius meminit, asperrimis hisce temporibus, bo-  
nis pacis artibus, quàm armis uterq; Africanus meruit, accessit,  
& porro accedet. Ac quemadmodum succinum vel electrum,  
quod in orbis nostri hemisphaerio sola Borussia littora & ararium  
Ducale sibi vendicant, cum mustum fluit, formicas, muscas,  
vespas & id genus alia rapit, implicat, absumit,

Cum Phaethonteà formica vagatur in unda,

Implicuit tenuem succina gutta feram. Mart.

Sic electrum lectissimorum consiliorum Sereniss. nostri Ele-  
ctoris quavis leva pacemq; infestatura absumsit & annihilava-  
vit. Ubi, inquam, Patrias relegit oras, & ora suorum, pius in-  
DEUM, Pius in Conjugem, Pius in Pignora ac Necessarios, Prin-  
ceps Justus, prudens, pacificus, magnanimus fortis, temperans,

*liberalis, sapiens, clementissimus, Salus Familia sua, Salus tot  
 rans & cis Vistulam, Viadrum, Rhenum ac Albim Provincia-  
 rum, salus singulorum, sal discretionis, sal conservationis; tam,  
 mustea reditioni & secundo adventui his diebus è toga & ordi-  
 ne nostro Oratores ac Poëtae eximii, Senes, Viri, Juvenes, in hac  
 & majori cathedra panegyricis & epodis summissè occurrit a-  
 re, & communia vota illo, quod salute Principis terminatur,  
 complecti certatim enisi sunt; Quorum ὑπαπαντῆ mibi quoq;  
 calcar admotum, ut symbolam collaturus literariam, Serenissis-  
 mo Patri Patria τὸ πολυζέονιον, quod Divo Constantino pro vite  
 ac Imperii diuturnitate veteres nuncuparunt, repetamus &  
 dulcissimam ejusdem alloquentis ac simul refocillantis vetera-  
 nos suos consuetudinem in exemplum laudisq; Principalis seque-  
 lam proponamus.*

*Nam, ut, ipsomet L. i. C. de veteran. referente, cum intro-  
 isset Principia & salutatus esset à Præfectis & tribunis  
 & viris eminentissimis, acclamarunt, Auguste Constanti-  
 ne, DEU Ste nobis seruet, vestra salus, nostra salus;  
 Ita, cum oster Princeps, fausto omine ac nomine, non tam Prin-  
 cipia Principum sagi militumq; fortissimorum, quàm Principia  
 Marchici orbis, quàm & ipsa potioris partis subditorum Princi-  
 pia, cujusmodi sunt Consiliarii, cum Custrini, tum, Colonia ad  
 Suevum, rostra, regentes; sicut & Academia Professorum,  
 summa, Præfectorum, Tribunorum & Virorum eminentissi-  
 morum, quibus summis, mediastinis ac imis, una fibra, calet  
 post principia esse, hoc est, in tuto & citra periculum; Et ut Ro-  
 mani sueti adversus fortuita aspectu Principis refoveri, Tac. 15.  
 Annal. & ut iis spes libertatis nusquam, nisi in castrorum Prin-  
 cipis erat; ita Marchiacis aspectu Principis refotis ac devotis  
 spes libertatis nusquam, quàm in Principis ac libertate Prin-  
 cipis nostri salva. Unde unanimo corde, unè ore fideq; accla-  
 marunt, acclamant: SERENISSIME GEORGI-  
 VVIL-*

VVILHELME, *Patria Pater exoptatissime*, DE-  
LIS te nobis seruet, *Vestra salus, nostra salus.*

*Et sicut illius Veterani, sic & adunati Academiae Tuae Pro-*  
*fessores pra' aliis suspiramus: CONSTANTINE AUGU-*  
*STE, GEORGI-VVILHELME Celsissime, quod*  
*nos Veteranos & Togatos factos, si nullam indul-*  
*gentiam habemus.*

CONSTANTINUS AUGUSTUS *dixit, GEORGI-*  
*VVILHELMI clementissimi vox est paterna:*  
*Magis magisque Conveteranis meis & Antecesso-*  
*ribus, divinae ac humanae sapientiae Doctoribus,*  
*beatitudinem augere debeo, quam minuere.*

Victorinus veteranus *dixit: Universa Academia*  
*supplex orat: Muneribus ac oneribus universis locis*  
*conveniri non sinamus.*

CONSTANTINUS AUGUSTUS *dixit; GEOR-*  
*GIUS-VVILHELMUS benignissime affatur: A per-*  
*tius indica, quae sunt maxima munera, quae vos*  
*contumaciter gravant. Universi Veterani dixerunt; Uni-*  
*versi Togati, quotquot e cathedris atq; literis stipendia vitaeq;*  
*subsidia metiuntur, submisse innuunt, IPSE PERSPICIS:*  
*Ipse scilicet perspicis, ELECTOR Perspicacissime,*  
*in quae pietati, justitiae, bonisque literis infesta tem-*  
*pora Tui, maxime Professores, coniecti sunt, privilegiis,*  
*libertatibus ac immunitatibus a Divis Imperatoribus & Ante-*  
*cessoribus Tuis aeterna memoriae & eulogiae auguste concessis,*  
*& a Te confirmatis, obice passim objecto, cum in rerum egenos,*  
*commerciorum commodo exutos, stipendiis orbatos, onera com-*  
*munia diuturna serie devolvuntur.*

A 3

IPSE

**IPSE PERSPICIS**, quanta ex eo ingeniorum rubigo, quantus situs & marcor, quanta barbaries, ni **DEUS** & Tue cura clementer tanta mala averruncet, sit relapsura.

**PERSPICIS**, Pater Patria, perspicis, quanta curarum pariter ac discriminis onerumq; nobis messis; ruinis, depopulationibus ac incendiis pagos, villas, colonosq;, & inter tot illos, è quibus stipendia merentibus nobis dependi solent, attritos.

**PERSPICIS** deniq; sublatis studiorum pretiis studia ipsa sensim peritura; Quae cuncta tanti remur momenti, ut in parci- loquium potius incumbamus, quam verborum laciniam; spe namq; nitimur firma, quòd perspicacissimà perspicendo mente fessis & providentià tuà prospicies, quà constans imitaberis Constantinū Augustum dictà sua constitutione privilegia, libertates ac immunitates veteranis indulgentem, augentem, firmantem easdem Academiae & Professoribus Tuis indulturus, aucturus, firmaturus: Sed & cum Friderico Imperatore, qui vulgò **Æno- barbus**, **ELECTOR**, dignum existimabis, ut enim omnes bona facientes Tuam laudem & protectionem omnimodò mereantur, quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum **DEO**, & Tibi ejus Ministro, & quotquot imperandi versant urnam, vita subjectorum informatur; quadam speciali dilectione eos ab omni injuria & damno defendas.

Eadem Tibi cum Barbarossa insita erga studia & eorum cultores miserationis ratio. Quis enim eorum non misereatur, inquit, qui amore scientiæ facti de divitibus pauperes semetipsos exinaniunt, vitamq; suam periculis exponunt? &c.

Nec angustior Tibi mens, Septemvir Amplissime, quàm Theodorico Regi apud Cassiodorū, qui providentissimi Principis esse, scitè dixit, graviter imminutis relinquere tributariam functionem, ut rediivivis studiis ad implēda  
solen-



solennia recreentur, ne preſi damnorum acerbitate  
jacere proſtrati cernantur. *Edictum Adalarici Regis redu-*  
*ces, cum manifeſtum ſit, præmia artes nutrire, nefas*  
*judicavimus, edixit, Doctõribus adoleſcentium ali-*  
*quid ſubtrahi, qui ſunt potiùs ad glorioſa ſtudia per*  
*commodorum argumenta provocandi. Summa, Perſpi-*  
*cis tantum Tibi curæ ſubditorum libertatem, quam eo-*  
*rundem benevolentiam atque obedientiam, ut epi-*  
*phonemate Alexandri Severi optimi Imperatoris*

affari ceſſem & curas his demere dictis.

*Quandoquidem verò ex eodem ad elegantem text. l. Imperator*  
*Alexander ff. de appellat. bypapantes noſtra gradus modera-*  
*tum votivæq; mentis arrhabonem Patriæ Patri oblatum ſubmiſſe*  
*contendimus, intercalares aliquot ordinariis noſtris repetitio-*  
*nibus, quas ſuperiori Januario infeſtans Hygiea paululùm ſu-*  
*ſpenderat, præmittamus.*

*Sed antequam textui admoveamus manus, præcognoscere*  
*operæpretium eſt, quo auctore divinum de libertate ſubdito-*  
*rum, & eorundem erga Principes amore ac obedientia pronun-*  
*ciatum emanarit, & quodnam libertatis genus oraculum hoc*  
*intendat.*

*Hujus legis auctõr eſt Alexander Severus Imperator, genti-*  
*tilis quidem, ſed Chriſtiana favens religioni: Neq; enim feralis*  
*illi cum Nerone, cum ſcævis aliis vox: Chriſtianos ad leo-*  
*nem, quin eos non tantùm in urbe paſſus eſt, ſed & iisdem ibi*  
*publicum locum autumans, ſatius eſſe, quomodocunq; coli*  
*ab his divinitatem, conceſſit: Sed & CHRISTUM Domi-*  
*num noſtrũ & Abrahamum in larario ſemper habuit, teſte Lam-*  
*pridio, hiſq; fecit rem divinam; quin & CHRISTO templum*  
*meditabatur, niſi Flamines impediſſent, fanorum ac affania-*  
*rum ſuarum excidium ex eo pertimeſcentes: Præterea Chriſtia-*  
*porum ſententias ex oraculis ſacris & natura hauſtas, in primis*  
*illam.*

illam, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, libertatis ac benevolentiae parentium ac Imperantium thesaurum, gemmis antehabuit & palatii sui foribus publicisque operibus inscribi passim iussit.

Nil mirum itaque, quod iustissimi nomen sit meritis, & vel ideò summis Imperatoribus accensendus, dum, Lampridii ejusdem voce, Ulpiani Ceterum Principis praecipue consilio Rempublicam administravit, cui & is educator, tutor, ac Praefectus extitit Praetorio, unde ab eodem nomine amici l. secundum C. de comm. stipul. & parentis in l. ex Divi C. locati, honoratur.

Libertatis quod attinet differentias, non de Stoica illa, & Philosophica, nec de Theologica vel ἀνθεξιῶν agere heic lubet; ex sacris enim & sapientia humanae paginis vos non fugit, triviam hominis libertatem non tam libertatem, quam servitutem esse, quandiu vincuntibus & vincientibus cupiditatibus est subdita; Sicut enim ratio, cum primis verbo DEI recta & Superiorum scitis parens, in quovis vita genere libertatem solide tribuit animi imperio, corporis servitio firmatam, quorum illud nobis cum DEO, istud, Crispi mente, cum beluis commune est. Ita, cum illi dominatur caro, & quicquid ei in obsequium cedit, in sceptro sit vel plectro, in bliteis & doctis, in toga vel sago, in Cræso simul & Iro juxta stat, mera servitus est; servit quippe tot dominis, quot vitiis etiam latè regnans, sicut latè regnat. Iqui DEO & ejus vicario Magistratus paret, et si compedes gestet, & gyaris sit inclusus.

Ruborem suffundunt pagani CHRISTI ignavis, vel Epictetus ille, ut è pluribus laudemus unum, Stoicæ sapientiae Princeps, Epaphroditi Neroniani servus, qui licet

————— natus corpore claudus

Irus pauperie, deliciae Superum.

totus tamen à se & à DEO, totus liber, & nihil à fortuna fuit:  
Tanta celebratur Papiniani nostri, quem acutissimi ingenii virum

vum Imp. in l. cum acutissimi C. de fideicom. vocat, Libertas,  
ut, spretâ Getâ gratiâ, potentiâ & divitiis, securi quoq, ipsâ se-  
curior, ac liberior evaserit; Tot martyrum inter Christi culto-  
res libertatem, flammis, bestiis, ferro, fidiculis nec fractam,  
vel imminutam, quin auctam potius fuisse, auctores & Anna-  
les sacri effatim testantur. Quinimo Libertas Christiana in  
publicis privatisq, malis ac calamitatibus hominipio ad volun-  
tatem Dei, prater peccata, cuncta referenti, seq, spe firmanti,  
non esse malum in civitate quod non fecerit Deus, Amos, 3. mul-  
tò angustior effulget, ut,

Si fractus illabatur orbis,

Impavidum feriant ruinae. Hor.

Verum enimverò ad cancellos tam beatae libertatis & sanctioris  
praxis τὸν χειρῶν μὴ τὸ χερσῶν sectantibus, citra tamen animi re-  
missionem, remissis: de libertate civili, quæ subditos ac Principes,  
parentes & imperantes tam arte connectit, hypapantem no-  
stram, ubi prius textum curatius inspexerimus, concludemus;  
Species facti hacce concipi potest:

Commune vel communitas Græcorum in Bitbynia (cu-  
jusmodi aliàs κοινωσία vel τὸ κοινὸν dicitur in l. 1. §. 1. ff. de ap-  
pell. l. 57. ff. de jud. l. 5. §. 1. de vi pub.) sententiam adversus  
Cajum tulit; Quæ cum ei iniqua videretur, intra decendium  
Imperatorem appellavit; Sed communitas, quominus Cajus  
eam legitimè introduceret & prosequeretur, impedivit, & vi-  
am adeundi Principem illi obstruxit; Quæ de re conquestus apud  
Imperatorem Cajus, rescripsit Imp. nulli esse obstruendam viam  
Principem adeundi, multò minus libertatem appellandi restrin-  
gendam, subjectâ elegantissimâ ratione decidendi Principalium  
pectorum scriniis vel mentibus penitus infigendâ.

Tantum mihi curæ est eorum; qui reguntur,  
libertas, quantum & illorum benevolentia ac obe-  
dientia,

B

Nec

Nec obstat, quasi injuria facta fuerit Communitati illi cum  
Judici à quo, dum iniquitatis sententia illius arguitur; notum  
quippe Judicis imprudentiam circa judicandum quasi delictis  
accenseri, l. ult. ff. de extraord. cognit. Tum quod temerè li-  
tigantes & beneficia appellandi ad calumniam abutentes, adeoque  
adversarium multis sumtibus diu vexantes, litesque in infinitum  
extrahentes passim coercantur, t. t. Instit. de temerè litig. Gail.  
1. obs. 128. n. 2. Tum quod laudentur, qui lites execrentur, l. 4. §. 1.  
ff. de alien. jud. mut. caus. vid. Partib. litig. passim. At enim-  
verò, cum appellans ad appellationem confugiat, velut ad presi-  
dium innocentia c. cum speciali §. porro X. de appellat. eaque ut  
defensione utatur ad hoc, ut non deducta deducat, & non pro-  
bat aprobe l. per hanc C. de temp. appellat. Ideò nullà Judex  
injurià afficitur, nec poena locus est, arg. l. Gracchus C. ad L.  
Jul. de adult. Nec à parte appellantis dolus intervenit, dum  
licito juris remedio utitur. Nec etiam temerè vel frivole liti-  
gans poena exors erit, quando de temeritate ejus constabit; Abb.  
in c. sollicitudinem X. de app. Unde passim statuta habentur, ne  
appelletur, nisi juret prius appellans quod id non faciat calumnio-  
sè, & litem temerè protrahendi causa: Cujusmodi statuta & con-  
suetudines valere & laudabiles esse dicit Mynsinger lib. 3. obs.  
56. & Andreas Gail. 1. obs. 124. Præterea nec appellatus timere  
debet, quod multis sumtibus diu circumducendus sit, si citra amb-  
ages repetens tantum acta primæ instantiæ, præsertim si in illis  
jura sua plenè deduxerit, nec in factò novitas aliqua occurrat,  
concludat; tunc enim causam Judex ex officio pro conclusa acce-  
ptare, & definitivè pronunciare potest, Et ita quotidie in Ca-  
merà Imperiali observari tradit, Gail. d. obs. 128. allegans ad  
hoc tit. 33. §. pen. Ordin. Cam. part. 3. Porro, etsi bonum sit  
lites execrari, beneficio tamen communi & defensione uti jura  
divina cum humanis concedunt, sicut ipse Apostolus Paulus  
Act. 25. non dubitavit à Preside Festo ad Neronem Cæsarem  
appellare.

appellare. Sed & in d. l. 4. §. 1. de alien. jud. caus. Prator  
non prohibet litigare, sed tantum probat eum, qui tanti habuit  
re carere, ne propter eam sepius litigaret. Non aduersatur de-  
niq; superiori decisioni, quod statuto possit appellatio tolli & re-  
stringi, quia valet argumentum à pacto ad legem vel statutum,  
Everbard. in top. tit. à pacto ad legem. Juris autem est, ap-  
pellationem mutua conventiones à litigantibus posse revocari,  
justa siquidem pœnitentis humanitas non est amputanda l. si  
quis 28. C. de appellat. Mynsing. 3. obs. 14. Gad. 1. obs. 135. n. 10.  
Scacc. de app. q. 17. l. 1. At magna est differentia inter sta-  
tutum & pactionem in casu appellationis; illud enim in præju-  
diciū superioritatis vergeret, ista non veridem, cum paciscentes  
suo tantum favori pro se introducto, cen appellationi licite re-  
nunciant, l. pen. C. de pact. arg. l. 7. §. 14. ff. de pact. arg. c.  
invito de R. J. in. 6. Ideoq; etsi appellatio restringi possit, non  
tamen tolli potest penitus; Et sic male occluserunt viam Impe-  
ratorem Alexandrum adeundi Bithynienses, adeoq; puniri quoq;  
potuissent, sicut illi, qui appellationi legitime interposita non dese-  
runt, l. quoniam l. iudicibus C. de app. c. de priore & ibi CC.  
X. eod. excepto casu c. cum appellationib. de appell. in 6. Sed &  
vi illam impediens L. Jul. de vi pub. tenetur l. 7. ff. de vi pub.

Ad majorem verò elucidationem amplissima hujus mate-  
ria è nostro textu tria potissimum axiomata vel regulas collige-  
mus, Prima erit generalior; Nulli scilicet obstruendam viam  
adeundi vel interpellandi Principem,

Secunda specialior: Cuius subditorum ab inferioribus  
Judicibus ad superiorem provocare vel appellare liberum esse;

Tertia deniq; subditorum libertatem tantum cura debere  
esse Principi, quantum illorum benevolentiam & obedientiam.

Priori regula basis à causa efficiente & sine seu scopo Prin-  
cipum poni debet; ab illa, quod Principes tam in profanis quam  
sacris literis passim Inuncupentur, quibus vices suas in sublu-  
naribus

naribus hisce Deus demandavit: Unde pie Justinianus Imper.  
in l. Imperialis 23. C. de nupt. utramq; causam conjungens, Im-  
perialis benevolentiae proprium esse, dicit, ut omni  
tempore subjectorum commoda, tam investigare, quam  
iis mederi procuret, *subjecta praeclara ratione*, ita enim,  
*inquit*, credimus Dei benevolentiam & circa genus hu-  
manum nimiam clementiam imitari, qui quotidianis  
hominum peccatis semper ignoscere, & poenitentiam  
suscipere nostram, & ad meliorem eam statum deducere  
dignatur: *Cujus intuitu non modo gentiles Principes, sed &*  
*Christianica, qua de Deo dicuntur quodammodo sibi adfiscunt:*  
*Sic legimus divinam legem l. omnem 42. § si enim 8. C. de Episc.*  
*& Cler. divalem constitutionem l. neminem 22. C. de Episc.*  
*audient. oraculum l. quoniam C. de haereticis. Statuta coele-*  
*stia l. 10. C. de murilegul. lib. 11. item, aternitatem*  
*Principum l. 2. C. de fabricens. & passim divinas jussiones,*  
*divinos apices, divinum os, divina verba, numen, divi-*  
*nam serenitatem, coelestia consulta, &c. Quamquam ne-*  
*mo Principum Christianorum Dei vel Jehovae nomen sibi assum-*  
*ferit, nec sine blasphemia tale quid iis tribuendum. Hinc scite*  
*Tertull. in apolog. advers. gentes. Deum Imperatorem*  
*non dicam vel quia mentiri nescio, vel quia illum deri-*  
*dere non audeo, vel quia nec ipse se Deum volet dici si*  
*homo sit, satis habeat appellari Imperator: Grande &*  
*hoc nomen est, quod a Deo traditur, &c. Cujusmodi citra ty-*  
*rannidis, adulationis vel impietatis etiam notam intelligi possunt,*  
*sive auctorem eorum Deum, sive effectum & officium bonorum*  
*Principum respiciamus, & si DI sunt, ipsius etiam summi Dei*  
*provisione divina aeternaq; certo tamen respectu, iis conveni-*  
*unt nomina & dignationes. Quo modo dulcissimum iidem,*  
*sibi vendicant Patrie Patris nomen, quo lubentius & veteres*  
*Impp. Augustus, Tyberius, Titus & alii gavisi sunt, quam Do-*  
*mini*

*mini nuncupatione: Unde optimus Princeps apud Aventinum, creditæ, inquit, sunt Principibus provinciæ, ut tanquam parentes consulant subditis, non ut divites fiant & luxurientur. Quo nētingit & tesserā Princeps à Tyranno distinguitur, quod hic suum proprium duntaxat; ille verò subditorum bonum & commodum principaliter curet. Exinde Imperium vel Principatus scitè à Marcellino cura salutis alienæ definitur, vel ut Antigonus filio immodestiùs erga subditos se gerenti, annon novisti, inquit, nostrum regnum esse nobilem servitutem, Ælian.*

*Sicut itaq; Deus ter Opt. Max. sicut & bonus Pater neminem non admittit, quin facilem præbeat sese adeuntibus; Ita quoq; Principes neminem, sive extrarium, sive subditum, tam officiales quàm reliquos à suo conspectu & audientia, multo minus à Curia repellere debēt.*

*Nam, ut J Cius ait, observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur, l. observandum. 19. ff. de offic. Pras. ubi verbum observandum necessitatem infert.*

*Nec obstat l. sæpè audi vi ff. eod. ubi Julianus ait: Sæpè audivisse Cæsarem dicentem hoc modo rescribentem: Eum qui provinciæ præest, adire potes, non imponi necessitatem Proconsuli vel Legato ejus Præsidiq; Provinciæ suscipiendæ cognitionis, sed eum aestimare debere ipse cognoscere, an Judicem dare debeat.*

*Sed facilis est responsio, Præsidem vel alium quoq; Magistratum propter negotiorum molem, occupationes & alius de causis inferiori rectè delegare vel committere cognitionem causas posse, l. præcipimus. 2. C. de appellat. t. t. X. de offic. & potest. jud. deleg. Quamquam meliùs sit & gloriosiùs Principi causas majoris momenti, cum & inprimis viduarum, pupillarum, & id genus miserabilium preces ac querelas & si non,*

omni tempore, ad minimum tamen uno die per septimanam  
exemplo Caroli Magni coram cognoscere & judicare. Nam  
& hac ratione amor subditorum conciliatur arctius, & Prin-  
cipis autoritas & potentia tutius stabilitur, de quo ad ultimam  
regulam fusiis. Quin etiam exempla in primis ab Ethnicis  
Imperatoribus petita ad facilitatem hanc faciliores Principes  
Christo addictos reddant: Nam, ut de Augusto Suetonius scri-  
bit, promiscuis salutationibus admittebat & plebem, ma-  
gna comitate adeuntium desideria excipiens, Nec suggilla-  
ri hic potest Octavianus, quasi ea facilitate & comitate eodem  
modo sibi obnoxios reddiderit Romanos, quo cuncta discor-  
diis civilibus fessa nomine Principis (non Regis, Dictato-  
ris, vel similibus Quiritibus exosis nominibus) sub imperium  
accepit, & quo, ubi militem donis, populum annonâ, cun-  
ctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia  
Senatus, Magistratum, Legum in se trahere, cujusmodi  
Tacitus 1. Annal. candore suo non tacet, adeoque quod usus fue-  
rit hujusmodi adeundi facilitate Cesar ad regendam ambitio-  
nem & imperandi libidinem, quemadmodum Machiavellus ci-  
tra machinam & vellus pietatis Principi suo suadet, ut pietatis  
& Religionis velo tantum Regionis & commodi sui causa utatur.  
At enim talia procul ab Augusto abfuerunt: nam & fir-  
mato Principatu vel Imperio eandem comitatem ac facilitatem  
erga Romanos, ceu Pater Patriæ usque ad suprema fata constans  
retinuit: Sic & Vespasianus in Principatu suo maturus semper  
ac de nocte vigilabat, deinde perlectis epistolis, officio-  
rumque omnium breviariis amicos admittebat: ac dum  
salutabatur & calceabat sese ipse & amiciebat, nec gesta-  
tioni & quieti vacabat, nisi decisis, quæ obvenissent, ne-  
gotiis, quin & legationes cubans & morbo correptus au-  
divit, alvoque repente usque ad defectionem soluta Im-  
peratorem, ait, stantem mori oportere, quod & reipsa fir-  
mavit.



navis, dum cognoscendo causas legationis inter manus  
sublevantium extinctus est, annum gerens ætatis sexage-  
simum ac nonum: *Cujus vestigia Filius ejus & Successor Ti-  
tus pressit, cui solenne verbum: Non oportere quenquam  
à sermone Principis tristem discedere: & cum recordaretur  
quondam super cœnam quod nihil cuiquam toto die  
præstitisset, memorabilem illam meritoq; laudatam vocem  
edidit: Amici diem perdidit.* De Adriano Spartianus re-  
fert, in colloquiis etiam humiliorum civilissimum fu-  
isse, detestantem eos, qui hanc voluptatem humanitatis  
quasi servantes fastigium Principis inviderent. *Summa,*  
cum populo non aliter egit, quàm sit actum sub civitate,  
liberâ.

*Noster Alexander Severus non severitatis fera, sed tantâ  
laudatur moderationis nomine, ut nemo unquam ab ejus  
latere submoveretur, ut omnibus se blandum affabilem-  
que præberet, ut amicos non solum primi & secundi lo-  
ci, sed etiam inferiores ægrotantes inviseret.*

*De Trojano Plinius exactissimus illius virtutum estima-  
tor & encomiastes, Tu, scribit, civium amplexus nec ad pe-  
des tuos deprimis, nec osculum manu reddis, hæret tuo  
lateri, quisquis accessit, finemque sermoni suus cuique  
pudor, non tua superbia facit: nulla, pergit ille, in audien-  
do difficultas, nulla in respondendo mora, audiuntur sta-  
tim, dimittuntur statim.*

*Antoninus Pius, teste Capitolino, tantum detulit Sena-  
tui Imperator, quantum cum privatus esset, deferri sibi  
ab alio Principe optavit.*

*Marcus Antoninus Philosophus adeò civilem sese &  
commodum omnibus præstabat, ut adventum cuivis  
dexteram placidè daret, neminemque à suis custodibus  
prohiberi aditu pateretur.* Et hujusmodi ex Principibus

3 AM 2

tam Paganorum, quam Christianorum censu plures, & anti-  
qua & presentis aera produci possent, si instituti nostri temporisq;  
ratio pateretur. Vid. Gruter. p. 2. com. in Tac. p. 21. & seqq.  
Sed superior regula variis modis ampliari, declarari, & limi-  
tari potest.

Nam facilitas audientiae Principalis tam subditis, quam  
& maxime forensibus ac peregrinis, tam legatis, quam pri-  
vatis, tam bonis, quam malis patere debet. Neque  
enim in cognoscendo excandescere adversus eos, quos  
malos putat, neque precibus calamitosorum in lacryma-  
ri oportet; id enim non est constantis & recti Judicis, cu-  
jus animi motum vultus detegit, ut inquit Jctus in d. 1. ob-  
servandum de offic. Praef.

Secundo declaratur, ut exemplo bonorum & vigilantium  
Principum aliquando praesens vel incognito habitu provin-  
cias obeat, quo subditorum oppressorum querelas adversus praefectos  
maxime & Magistratus inferiores liberius cognoscat.

Tertio ampliatur & declaratur, ut more quoque veterum  
& modernorum aliquot Principum secreta habeat conclavia,  
curiis contigua, quibus incognito accessu aliquando ipse vel insciis  
consiliariis litigantes & statuentes audiat, & sive praesens, sive  
absens sit, Adessoribus praesentia Principis metus injiciatur ab  
orbita justae non deflectendi.

Quarto declaratur, ut Consilij & Officiales majorum  
gentium, in primis Cancellarij, Referendarij & Supplicum libel-  
lorum Magistri ad Principis conspectum & aures admitti, mo-  
destia & dexteritati conjungant libertatem consulendi referen-  
di & votandi; Nam & Tyberius, quanquam insignis dissimu-  
landi artifex, Senatores Romanos adulantes illum, homines ad  
servitutem paratos vocans perstringebat; Caterum exemplum  
Philippidis Lysimacho respondentis intueantur apud Plut. in  
apophth. de curiosit. vit.

Quinto

Quintò declaratur & limitatur simul, ut propter molem negotiorum & occupationum Princeps Consiliarius & viris probis doctisq; causas supplicantium rectè dijudicandas committat.

Sextò declaratur, ut in rebus magni ponderis tam pacis, quàm belli tempore ministris suis libera det mandata, quò rebus turbidis & gravibus, quarum mora periculum trahit, pro tempore consulant; unde solennis illis clausula inseri solet ex re consulturos, ut pro tempore & pro re capiant consilium, caveant ne Respubl. aliquid detrimenti capiat, item si Reipubl. commodo facere possent; aliàs restricta mandata in causis maximè publicis & bellicis, multa incommoda sequi possunt, de quibus Scipio Amirat lib. 15. discurs. in Tac. c. 6.

Septimò declaratur, ne Consiliarij & ministri cuncta negotiorum & curarum ad Principem rejiciant; majus enim & excellentius ei convenit, uti Tiberius apud Tac. 3. An. innuit.

Octavò ampliatur, ut in rebus gestisq; majoris momenti, imprimis belli tempore Duces, Consiliarij ac ministri cuncta feliciter ac prudenter à se gesta vel expedita Principis Virtuti ac fortuna adscribant; Ita Silius maximum Tiberij odium incurrit, jactans, sui unius auctoritate legiones suas non defecisse, sine quibus Tiberius maxima pericula non effugisset: Hisce autem verbis destrui fortunam suam Cæsar, imparemque tanto merito rebatur, ut iterum utamur verbis Tacit. lib. 20. qui etiam socero suo Agricola laudem tribuit, quod nunquam in famam suam gestis exultaverit, sed ad autorem & ducem, ut minister fortunam retulerit.

Nonò declaratur, ne cuncta regenda & disponenda uni ministro committantur, ut ab illius nutu & aditu solo dependeant subditi; Testatur enim eventus Sejani sub Tiberio; Pallantis & Narcissi Claudio Imperatori tum imperantium, ac aliorum sub aliis Principibus prisca & nostræ ære, quòd in insignia discrimina publicam simul ac privatam rem tales Sejani conjeclarint.

C

Vid.

Vid. Sejanus Baronis ab Enenckel. Eberb. à Weibe in aul. pol.  
tb. 58. p. 25.

Decimò limitatur & declaratur, ut subditi, quanquam  
presentem Principem magis scripto adeant, quam ore tenus que-  
relas aut preces suas proponant, cujus causas exponit pulchrè  
Scipio Amirat. lib. 4. discurs. in Tac. c. 9. Ita tamen, ut verbositas  
evitetur, nam & Justinian. Imp. in libellis verbosis uti assertio-  
nibus, & ea, quae jam perorata sunt, iterùm resuscitare vetat,  
l. 39. §. 1. C. de appell. Et Symmachus in ep. ad Theodosium, ego,  
inquit, in referendo prolixus esse non debui.

Similiter praeposteratio odiosa est, & officio judicis rejici  
potest arg. l. fundum de except. l. 1. fam. herc. Myns. resp. 62, n.  
53. decad. 7. Nihil, inquam, magis Principem Judicemq; diffi-  
ciliorem reddit audiendo querelas & preces, quam prolixitas,  
ταυτολογία & verborum ambages.

Hinc Clemens Papa IV. non volebat audire advocatos in  
voce, propter aliquantò impertinentia verba, ut ex Nevizano  
refert Card. Tusc. concl. 233. in fin. Lit. A. Et inter ἀγχιωόιας no-  
tabile recensetur Henrici Magni Galliae Regis argutū responsum,  
quod dedit cuidam verborum & titulorum ampullis utenti, &  
comparanti Regem cum Alexandro M. & Julio Caesare: Sed  
Henricus non expectata comparationis istius fine interrupit  
sermonem faceto dicto: Alexandrum M. & Julium Caesarem  
jampridem pransos esse, se autem ex venatu lassum esurire; ac  
ita importunà prolixitate tum repulsam tulisse fertur supplicans.

Undecimò declaratur, ut, licet Princeps interpellantes  
& supplicantes coràm audiat, praesertim in locis extra curiam,  
veluti venationibus, & id genus recreationi destinatis; nihil ta-  
men controversi, causà non plenè cognità vel discussà, decidat,  
aut immunitates, privilegia, & id genus ardua concedat, maxi-  
mè contra jus tertij, nisi communicato consilio: Vid. tamen Abb.  
in c. inter quatuor de major. & obed. Bald. in l. ab eo C. qu. &  
quand.

quand. jud. Felin. & CC. in c. cum olim de re jud. Tapia ad l. 1.  
ff. de Const. Pr. de Petra de potestate Principum passim: Ideoq;  
hujusmodi concessionibus, privilegiis, provisionibus & diploma-  
tis Quaestoris (qui hodie Cancellarius vocatur à cancellando,  
quia ad officium ejus spectat, ut literas cancellet, quas videt con-  
tra jus vel utilitatem publicam emanasse Anton. Fab. in Cod. tit.  
si cont. jus vel utilit. publ. defn. 1. n. 5. Pulchrè Kirchner. in  
Morvillerio Comminei seu in tr. de offic. Cancellarij c. 1. & seq.)  
subscriptio necessaria est, Auth. gloriosissimi C. de divers. rescript.  
Nov. 114. c. 1. Sic nec Prælatus potest de rebus Ecclesie dispone-  
re, vel quicquam alienare, permutare vel immutare sine Cano-  
nicis solennitatibus, hoc est, tractatu, consensu, sigillatione &  
subscriptio Capitulari c. sine exceptione 12. q. 2. c. nulli de reb.  
ecclesia non alien. c. 1. de his qua fiunt à prælato sine consensu ca-  
pituli. Gail. 2. observ. 141.

Duodecimo declaratur, quod Cancellarij vel Consilia-  
riorum subscriptio sola non sufficiat, quando statuto, edicto vel  
Styli practici articulo Princeps derogat, ibi enim expressè Prin-  
cipis opus subscriptione Anton. Faber defn. 3. C. de divers. re-  
script. Sicut nec contra & præter jussu Principis gratiam  
crimini publico facere debent, Lancell. in templ. jud. 1. c. 1. §. 4.

Nec obstat superioribus, quod non liceat disputare de  
Principis potestate, cum hoc sit instar sacrilegii, l. dispu-  
tare C. de crim. sacrileg. De voluntate enim & scientia illius  
non est prohibitum disputare, ratio, quia nonnunquam malè in-  
struitur Princeps, & nunquam presumitur Principi aliquid pla-  
cere, nisi quod justum & verum est, c. fin. de rescript. in 6. c. dete-  
standa de concess. præbend. l. fin. C. si cont. jus vel util. publ. l.  
digna vox C. de LL. Andreas Gail. 1. obs. 14. Unde in diplo-  
matis, rescriptis & concessionibus clausula salutaris, si preces  
veritate nitantur, tacitè quoq; subintelligitur Gail. d. obs. 14.  
D. Marta de clausul. cl. 168. Ideo exceptione sub- & obreptionis

etiam in consistorio Imperij gravato succurritur Gail. d. obs. 146.  
Zauger. de except. p. 2. c. 1. nu. 17. Similiter rescriptum vel  
mandatum inferior Judex vel officialis non tenetur mox exe-  
qui dum in illo continetur aliquid expresse contra jus publi-  
cum sed debet expectare secundam & iteratam jussionem, ut  
dicit Gl. in l. fin. C. si cont. jus vel util. publ. Sicbard. in l. ex  
imperfecto n. 4. C. de testam. quod multo magis in causis crimi-  
nalibus obtinet, arg. l. 20. C. de poen. Quin & ipse Romanus  
Pontifex, qui alias cuncta judicaturus à nemine vult judicari  
c. si Papa dist. 40. & passim alibi, rescripto seu Apostolicis literis,  
quæ manifestum continent in constructione peccatum,  
fidem non vult adhiberi c. ad audientiam X. de rescript. cujus  
rationem reddit Felyn. ibid. n. 1. & seq. quod non presumatur  
tale rescriptum transisse plurium doctorum manus.

Nec obstat, quod presentia summi Pontificis & Principis  
omne vitium purget, omnemq; doli presumptionem amoveat, &  
juris communis solennitates suppleat per ea quæ dicit Anton.  
Fab. in C. de Episc. & Cler. de fin. 46: Hoc enim obtinet,  
cum de ea re agitur, cui certa forma nulla sit à jure prescripta.  
Fab. d. decis. n. 3. Boer. quest. 2. n. 21. Non adversatur quoq; d.  
canoni ad audientiam, quod indignum dicatur verba coele-  
stis oraculi restringere ad regulas Donati c. indignum dist.  
38. nam, etsi verbis sententia sunt preponenda sicut preponitur  
animus corpori c. sedulo dist. 38. attamen ex congrua oratione  
sententia magis luculenta est, præsertim, ubi in versione litera-  
rum sacrarum verbis inest obscuritas & soloecismus, sicut in  
vulgaribus translationibus passim animadvertere licet, tum  
enim ad fontes recurrendum est: Ut enim veterum librorum  
in scripturis sacris fides de Hebrais examinanda, ita novorum  
Græci sermonis normam desiderat c. ut veterum dist. 9. Aliter  
respondet & limitat Felyn. ad d. c. ad audientiam, qui videatur  
sum pluribus ampliat. limit. & declarat.

Sequitur

Sequitur speciatio regula; Cuius nim. permiffum esse ab inferiore ad superiorem appellare.

Quamvis enim plura remedia sententias Judicum impugnandi ratione cum iniquitatis, tum nullitatis circa processus substantiam & solennia oppressis & gravatis competant, uti querela nullitatis, de qua plenè Vantius in tr. de null. beneficium supplicationis, revisionis, restitutionis in integrum, quæ certò respectu aliquando inter ordinaria & extraordinaria remedia referuntur, Zang. de exc. c. 1. p. 2. n. 437. & seqq. & ratione culpa & doli Judicis inferioris Syndicatus, de quo Par. de Put. tr. de Syndic. nullum tamen pinguius est & communius, quàm appellationis remedium, de quo propriè noster textus loquitur. Quia verò superiori triennio universam appellationis materiam & hic & in Academia metropoli Fürstenwaldensi plenè interpretati sumus, intercalaribus hisce repetitionibus propositam duntaxat regulam paucis attingemus.

Cui iterum basis hæc jacienda, quod appellatio sit præstidium innocentie & defensio inducta de jure naturali ad succurrendum oppressis c. cum speciali §. porro X. de appellat. vel ut Oldrad. loquitur cons. 285. nu. 5. vers. præterea appellatio, est quadam medicina contra morbum sententie iniquæ; vel secundum Bald. in l. un. C. si de mom. est theriaca contra judicis venenum: Unde etiam querela iniquitatis dicitur, opposita querela nullitatis, ita tamen ut deserta vel remota appellatione, non deferatur vel tollatur nullitatis querela Gail. 1. obs. 135. n. 6. quamvis utraq; simul, ut ut ad diversa tendant, remedia cumulari in eventum possint, Imò, licet simpliciter appellatum sit à sententia, judex tamen appellationis nihilominus de nullitate sententie, incidenter cognoscere poterit, Card. Tusc. concl. 304. lit. A. n. 3. per ibi allegata & declarata: Ideò cuius appellatio in causis tam civilibus, quàm criminalibus competit, nisi expresse

reperiatur prohibita c. omnis oppressus 2. q. 6. Videamus itaq;  
quasi in *παρόδω* quibus libertas appellandi ad superiorem sit am-  
putata.

Primò loco est non gravatus, ubi enim cessat gravamen,  
cessat appellatio c. ut debitus de appellat. d. c. omnis oppressus  
2. q. 6. Gravamen scilicet tam præteritum quam præsens & fu-  
turum in una scil. causa qua ventilatur c. consuluit 18. X. de  
appell. c. bona memoria eod. ubi proponitur exemplum appella-  
tionis extra iudicium à parte, à qua futurum gravamen metue-  
batur.

Secundò, si appellationi sive in iudicio sive extra ab utra-  
que parte renunciatum fuerit, l. 1. §. 3. ff. à quib. appell. non  
licet, l. fin. C. de app. sed & ab appellantis tantum parte licet  
appellationi interponenda renunciare l. si quis 28. C. de appellat.  
nò verò iam interposita nisi appellatus consentiat Alex. Trentac.  
2. resol. 8. n. 5. Scacc. q. 17. lim. 2. n. 9. eo tamen ipso, quando quis  
promisit stare sententia iudicis, non inducitur renunciatio Sigm.  
Scacc. de appell. d. q. 17. lim. 2. n. 735. & seqq.

Tertiò non rectè appellat contumax verus, non fictus l. 4.  
C. quor. appellat. non recip. nisi venerit adhuc iudice pro tribu-  
nali sedente arg. l. 7. ff. de in integ. restit.

Quartò ejusdem conditionis sunt ex eremodicio conde-  
mnati l. 13. §. 4. C. de jud. quod differt à causa deserta appell.

Quintò denegatur idem beneficium spontè confessis &  
convictis simul l. 2. C. quor. appellat. non recip. quod lim. in  
mater. crim. inal. ut mox dicemus.

Sextò de jure civili quoq; famosis latronibus, ceterisq; publi-  
cam quietem infestantibus idem beneficium præcisum est l. addi-  
ctos in fin. C. de appellat. ne sceleratorum proditio consiliorum  
differatur l. pen. C. de feriis l. ult. C. Theodos. de quest. l. 3. C. de  
Episcop. audientia: Hac tamen est exceptio à regula, qua de jure  
civili



civili damnatus ad mortem & per se & per tertium vel extra-  
neum appellare potest; Imò & pro invito perire festinante quili-  
bet rectè appellat l. 6. ff. de appell. d. l. ad dictos in pr. C. eod.  
c. liceat 2. q. 6. quod tamen iterum in Germania nostra restringi-  
tur, in qua causarum criminalium appellationes non recipiun-  
tur, Ordia. Cam. part. 2. tit. 28. §. item Nach dem. Sicut nec  
matrimonialium, tum quia criminalibus quodammodo equipa-  
rantur, Schn. de sponsal. nu. 27. tum quia à Romano Cathol.  
foro Ecclesiastico & à Protestantibus mixto vel consistoriis è lai-  
cis & Ecclesiasticis assessoribus formato accensentur, tum quia  
longam moram & litis sufflumen respuunt. Quam juris no-  
vissimi dispositionem Dd. quidam strictè accipiunt de appella-  
tione causarum criminalium prohibita, quoad supremum tantum  
Imperij tribunal Spirense per d. §. item nach dem vers. doch da  
sich. Nam ubi de consuetudine expressa non constat, in dubio  
sequenda est ratio & jus civile, donec consuetudo contraria, que  
facti est, probetur. Ex quo infertur tam à sententia interlo-  
cutoria torturam velut gravamen irrecuperabile inferente vid.  
Abbas in c. cum in contemplatione n. 3. X. de R. J. Farinac. in  
pr. crim. q. 38. n. 10. quam à definitiva in criminalibus appella-  
ri hodiè posse ad Principem vel alium statum Imperij immedia-  
tum Bocer. in tr. de jurisd. c. 3. n. 84. pulchrè Moll. 4. Semestr.  
33. per tot. Unde noster quoque Wesenbec. in par. de ap-  
pell. recip. n. 3. attestatur consuetudinem esse in plerisq; locis  
Germanie appellationem in criminalibus judiciis respuentem,  
si in plerisq; non in omnibus; Ideò, ut diximus, consuetudo an-  
te omnia inspicienda & trutinanda, Clar. §. fin. q. 94. n. 3. Aliàs  
citra controversiam querela nullitatis reis criminum competit,  
quamvis periculosa sit effectum tantum habens devolutivum nõ  
suspensivum, nisi de nullitate processus notoriè constet, & in  
continenti probari queat: Tum enim inhibitio concedi, & execu-  
tio impediri potest Gail. 1. obs. 144. n. 7. & obs. 147. n. 10. pote-  
runt

unt cum sc. attentata in processu nullitatis post sententiam  
re scilicet adhuc integra revocari, Gail. d. l. Multo minus  
defensionis facultas reis criminum, maxime si appellatio iis de  
consuetudine sit adempta, deneganda est l. 19. ff. de poenis, ubi  
¶ Cuius ait, si non defendentur servi à Dominis, non utiq. ad sup-  
plicium deducuntur, sed permittitur eis defensio vel ab alio, &  
qui cognoscit, debet de innocentia eorum querere, ad: Bart. ad  
l. 1. §. si quis de quæst. Tib. Decian. in pr. crim. lib. 2. c. 6. n. 6.  
& lib. 5. c. 37. n. 1. 5. & seqq. Quod & Nemesi Carolina c. 88. v.  
jedem Theil consentaneum est: & in bene constitutis tribunali-  
bus publici reorū defensores publico stipendio rectè constituntur.

Nulla etenim de vita hominis cunctatio sera est  
juxta Poëtam, vid. d. l. 20. C. de poen. & ibi Gotthofr. Verum  
ex causa confessi & notorii & c. defensio restringi & tolli aliquan-  
do potest c. lator. in verb. omni mora. 2. q. 7. c. ex parte X. de  
offic. deleg. vid. tamen Clar. d. §. fin. q. 9. n. 7.

Septimò itidem rejiciunt appellationem causa, que di-  
lationem vel moram non recipiunt, ut est causa momenti vel  
momentanea possessionis controversia l. unica C. si de moment.  
possess. fuerit appellat. quod itidem jus Canonicum correxit c. ex  
conquestione & c. cum ad sedem 15. X. de restit. spoliat.

Idem est quando incidit questio de annona, de aperiendo testa-  
mento. de missione in possessionem bonorum l. ult. ff. de appellat.  
recip. l. quisquis C. eod. quibus aliqui addunt causas urgentium  
& extraordinariorum contributionum, quod tum demum con-  
cedi posset, si de justa contribuendi ratione & proportione con-  
staret, Wann eine rechte Anlage gemacht / exceptis excipien-  
dis & maxime clericis, & qui his comparantur, qui non nisi in  
subsidiis summa urgente necessitate communi tribuendi oneri  
caritatis Christiane intuitu submitunt c. 3. 4. X. de immun.  
eccles. Quae exinde charitativa vocantur subsidia;

Octavò,

Octavo, rejicitur appellatio post tres sententias conformiter latas t. c. ne liceat in una eademq; causa.

Nono, quamvis ad superiorem intermedio Judice omisso appellare fas non sit, l. Imperatores ff. de appellat. cujus ratio manifesta est, ne jurisdictiones confundantur, quod fieri non debet, nisi medius iudex suspectus sit, vel alias minus idoneus, justitiam vendenget Marant. p. 6. tit. de appell. n. 357. At Jure Canonico recte ad Papam appellari potest, medio iudice posthabito c. si quis vestrum, 6. 7. & seqq. causa 2. q. 7. Cujus rationem ex practica Ferrariensis in form. app. a sent. def. avaritia Clericorum ad scribit Rittersh. de diff. juris Civ. & Can. c. 26; Et Ferrariensem recte scripsisse comprobatur Myns. 2. obs. 4.

Decimo, cessat appellatio a Principe supremo: Neq; enim proprie appellatio est, quando a Principe male informato, ut loquuntur, ad melius informandum provocatur, Dd. in l. 1. §. questum de app. l. ult. §. de relat. Rectius enim hoc ad remedium supplicationis vel revisionis refertur, nisi vocem appellationis abusive accipere velimus.

Undecimo, sicut olim a Praefectis Praetorio provocare non licuit l. unica C. de sent. Praef. Prat. Ita & hodie Principes CAPUT SUPREMUM recognoscentes, privilegio appellationis nescio fruuntur, uti in Germania Elector & Duces Saxoniae, & Elector Brandenburgicus Dn. noster Clementissimus, tum & Archiduces Austriae, quod & alii ad Rhenum Electoribus ex aurea Bulla dispositione olim competebat, qui tamen longissimo tempore eo non sunt usi, nisi ad certam pecunia summam, quae & in istis aliisq; Principibus ac civitatibus Imperialibus ratione quantitatis variat, tenore privilegiorum, cujusmodi verbotenus quaedam recenset Ayrer in process. Historic. p. 2. c. 4. Nevius in sistem. ad l. 1. quib. appell non licet n. 3. & seqq. Alias in genere in Ord. Cam. Imp p. 2. tit. 26. §. Unde sonderslich summa appellabilis restringitur usq; ad quinquaginta aureos, exceptis causis injuriarum & similium, quae non estimantur.

D

tur.

ur: De jure verò communi & in majoribus & minoribus negotiis  
appellandi facultas est, c. de appellationibus 11. X. de app. l. 20. C. eod.  
Et quemadmodum olim ab auditorio Principis appellatio exulabat  
l. 37. C. de appell. Ita nec à Camera Imperiali, qua ipsum Imperato-  
rem & Imperium repræsental, provocatio conceditur, licet revisio-  
nis beneficio, quod ex communi Caesaris & Statuum placito ordina-  
riam jurisdictionem revisoribus tribuit Ordin. Cam. p. 3. tit. 53. §. 2.  
Gail. 1. obs. 154. in pr. fit locus.

Duodecimò, nec ab arbitrariis aut executoribus appellatur,  
nisi limites sententiæ excedant l. 4. in pr. de appellat. l. 21. C. eod. l. 5.  
C. quor. appellat. non recip. Bart. in l. à. Divo Pio §. 1. de re jud. Plus-  
res ampliationes & limitationes his succenturiari possent, si insti-  
tutio permitteret, quas attigimus in ordinariis nostris repeti-  
tionibus tit. de appellat. vid. Marant. loc. allegat. & tractatus de  
appellat. Sigismundi Scaccia, Franch. Besoldi, Brederedi & Dd. ff.  
C. & X. de appell. In iis verò casibus, quibus aliquis appellare ve-  
tatur, non arcetur à beneficio supplicationis vel nullitatis Myns. 6.  
obs. 15. & 68. Gail. 1. obs. 135.

Restat deniq, ut de posteriore regulâ seu epiphonemate, tan-  
quam Principum & Rerum publ. gnomone, dicamus. Non minus  
sc. curæ esse debere Principi subditorum libertatem, quàm  
eorum benevolentiam & obedientiam. De libertate Prin-  
cipum dicendi libertas restringi solet, cum eorum voluntas legis  
vim habeat l. 1. ff. de Constit. Princ. soluta; q. sit legibus Princeps l.  
Princeps ff. de LL. Sed quatenus huic Principum libertati & pote-  
stati cynosura lex divina & humana, nulli perniciofa, sed proficua  
potius & salutaris existit. Princeps enim, Dei imitator & Vica-  
rius, frena cupiditatibus suis præ aliis injiciens & ita liberrimus  
juxta leges vivit l. digna vox C. de LL. Sicut & dicta L. Princeps  
inscriptio L. Juliam & Papiam, que sunt caducaria, innuit, qui-  
bus Princeps ex veteribus SCtis solutus erat, etsi alij Dd. illam  
advocant ad poenarias tantum leges, vel etiam ad solemnia, & vim  
coactivam.

coactivam restringant: Illud tamen *Cajus l. 25. ff. de legat. 1. declarat exemplo: Quod enim Principi relictum est, qui, priusquam dies legati cesserit, ab hominibus ereptus, h. e. mortuus est, ejus successor in Imperio, non Augustus debetur, cujus rationem Bl. assignat, quod, licet Princeps inter homines esse desinat, maneat tamen dignitas, majestas & corpus Imperij, velut Tib. apud Tacit. ait: Principes mortales, Rempubl. æternam esse, cui testator intelligitur legasse; Ex quibus inferitur, quod aliis teneatur legibus vid. l. ex imperfecto C. de testam. l. ult. ff. qui test. fac. poss. l. pen. ff. de hered. instit. l. Papinianus §. Imperator ff. de inoff. testam. l. 4. C. ad L. Falcid. l. 23 ff. de legat. 3. l. 22. §. lites ff. de jur. fisci & plures alia. Et quia non tantum caducariis, sed & multis aliis eximitur, ideo exceptio firmabit regulam in casibus non exceptis; & hac ex jure civili ita discuti poterant, sed quia altioris sunt indaginis, & loci, curatius illis tractandis super sedebimus. Vera & tuta Principum libertas è subditorum vel parentum benevolentia & obedientia, dijudicanda est.*

Non sic excubiæ, non circumstantia tela,

Quàm tutatur amor.

Non pecuniæ vis aut stipendia, satellitumvè agmina, ait *Imp. Marcus Antoninus*, tueri Principem possunt, nisi illi ipsi, quos regas, animum imperanti benevolentiamque accommodent, Quippe ii demum tuto imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate civium instillant.

Est autem libertas, juxta *Tull.* potestas vivendi ut velis, vel, ut *Justinianus* definit, naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut jure prohibeatur §. 1. *Instit. de jur. pers. l. 4. ff. de stat. hom.* Ubi prioribus verbis regula, posterioribus exceptio continetur, quamvis & is, qui juri vig., maximè potestati legitima, vel Magistratui imperanti, vel anti, permittenti, punienti (in quibus legis virtus consistit l. 7. ff. de LL.) paret, verè siber sit, per supra dicta. Econtra omne, quod pietatem, verecundiã

Et existimationem nostram laedit, Et generaliter, quae contra bonas mores sunt, nec facere nos posse credendum est, l. filius quem ff. de condit. Instit. l. nepos ff. de V. S. Adeo ut etiam jure impossibile praecipuum judicis, nullius dicatur esse momenti l. Paulus ff. quae sent. sine appellat. Et quanquam libertatis istius, quae servituti opponitur, plurimus in juris nostri latifundis favor exprimitur; quaedam tamen de libertate hominis conscientiam, vitam, famam Et externa bona concernente delibabimus.

Conscientia vel cogitationum libertas, praeter auctorem hominis in mala cumprimis proclive, solius Dei imperio subest, adeoque potestati vel poena temporali in illam nihil juris: Quod tamen limitatur non tantum in delatione juramentorum, Wann man einem etwas in sein Gewissen schiebet / sed Et in crimine laesa Majestatis, in quo eadem severitate voluntatem sceleris, quae effectum puniri sanciunt Imp. l. quisquis in pr. C. ad L. Jul. Majest. quod Et in atrocioribus criminibus obtinet, modo voluntas vel affectus ad conatum aliquem prosiliat non tamen secuto effectu, tum enim extraordinariam poenam conatum puniendum putat Jul. Clar. in pract. crim. s. fin. q. 92. n. 2. in fin. ubi plures allegat: Si vero in tra mentis septa conclusa cogitationes maneant, regulariter impunes sunt l. cogitationis ff. de poen. c. cogitatione de poen. dist. 1. Conscientia itidem religionis causa libertas in violata esse debet, quatenus per eam homo non tam reconciliatur, religatur, Et unitur Deo ad suam salutem, quam ad sinceram illius Vicario Magistratui Reipublicae fidem Et obsequium praestandum incitatur: Ideoque haec cultus divini pars medullam Religionis continet, Et vinculum religionis tuenda; nuditas, ceremonia ac traditiones hypocritam, atheum ac impium a pio Et vero Dei cultore non discriminant; non tamen facile mutari vel aboleri istiusmodi debent, juxta consil. Ulpiani in l. 2. ff. de const. Princ. quae sc. fidei ac bonis moribus, paci Et edificationi non officiant, ut ex D. Hieronymo statuitur in e. illud dist. 12. quaque proximus non offenditur, juxta praecipuum apostoli

*Apostoli Rom. 14. Ideoq; libertatem Religionis libertati cōpūctis  
Dei & meritis partē conformem, nec publica legi pacē con-  
trariam, cuiusmodi sunt saluberrimæ & sanctissima Constitutio-  
nes Imp. t. t. & imprimis l. 1. & 3. C. de SS. Trinit. & novissime in  
S. Rom. Imperio Pax Religionis, cōfessionī Augustanæ An. M. D. XXX.  
Carolo V. gloriosissimæ memoriæ Imperatori oblata, super fructu  
velut utriusq; tabula custodi, Magistratui & Principi tuendi stu-  
dium incumbit: Religionis quippe nomine melius, quàm armorum  
presidio munitur l. 3. S. 1. C. de his qui ad Eccl. conf. velut idem Ju-  
stinian. in Nov. 115. S. si quis v. si enim, si pro causis, inquit, cor-  
poralibus cogitamus, quantò magis pro animarum salute,  
providentia est nostræ sollicitudinis adhibenda. Redeg; Pon-  
tifex Leo, res humanæ, ait, aliter tutæ esse non possunt, nisi,  
quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia & Sa-  
cerdotalis defendat autoritas, c. res autem. 23. q. 5. Alioquin  
sicut coacta studia non respondent juxta Senec: Ita nec coacta  
religio, quæ externa vi coalescit, sanctâ Cleri vitâ, disciplinâ Ecclē-  
siasticâ, aliisq; caritatis Christianæ incitamentis cassa, qua de re  
p. Iuan. in pref. Histor. Hinc Gregorius PP. novam vo-  
cat atque inauditam prædicationem, quæ verberibus exi-  
git fidem c. quid autem. dist. 45. Et alius è D. Augustino repetit,  
ad fidem nullum cogendum invitum c. ad fidem 23. q. 5. Circa  
quæ paganicus ad Religionem cogendi modus, à Sapore Persarum  
Rege excogitatus, obiter occurrit apud Sozomenum lib. 2 c. 8. Is  
enim Christianos extincturus immoderatis eos afflixit tribu-  
tis, & viris difficilibus & inhumanis ista exigendi pote sta-  
tem dedit, quò & inopiâ pecuniæ, & exactorum feritate  
coacti suam aspernari inciperent religionem. Seciùs Imp.  
Romani ex Ethnicis statuērunt, libertatem religionis Christianis  
concedentes, ut de Alexandro nostro supra notavimus. Immo ijs-  
dem, honores adipisci permiserunt l. generaliter 5. S. fin. ff. de decur.  
ubi per eos, qui Judaicam superstitionem sequuntur, Christianos  
intelligit Alciat. 3. dispunct. 8. Gotbosfred. ad d. S. fin. lit. p. Vice ver-*

sa Christiani Caesares, cum primis Constantinus M. pagans libertatem sua superstitionis non ademerunt; At, cum libertas Religionis verbo Dei, paci, legivè publica adstricta in Republ. permittitur, non audiendi sunt Elcheticæ pridem damnati, qui temerè asserebant, temporalis commodi causa libertate religionis ita utendum esse, ut verbis quidem illi renunciare liceat, modo corde retineatur; quibus libertatis ad servitutem corporis & rerum temporalium natis in Republ. & Ecclesiâ nihil est perniciosius, ijq; accensentur hereticis arg c. hereticus 24. q. 3. Gl. c. 1. X. de heret. Et ejus sententia dicebantur nostra etate quoq; Mauritanii, vulgò lingua Hispan: los moriscos, Christianos nuguos, ob id ejectione Hispaniæ regni Anno 1610. vid. edictum Philippi II. Hispan. Regis in cont. Hist. Thuar. de d. anno.

Ad corporis famèq; libertatem ut accedamus, ea jure civili non minus favorabilis est, ita, ut tadio vita, vel impatientiâ valetudinis adverse, vel jactatione corpori suo violentas manus inferre nemo prohibeatur l. 6. §. 7. ff. de injust. rupt. l. 34. pr. ff. de testam. mil. l. 3. §. 4. ff. de bon. eor. qui aut. sent. Hinc Plato Philosophiam definiit μελέτην σωφροσύνης τε καὶ πρᾶξεως τῆς τοῦ βίου, à quo tamē pietas Christiana abhorret, & Nemesis Carolina, excepto casu Juris Canonici, quando castitas periclitatur, ejus enim conservanda causa propria permittitur perire manu, ut ex D Hieronymo habetur in c. non est nostrum 23. q. 5. Quod cū micā salis accipiendum esse, ipse locus Hieron. suadet; ejusmodi enim SS. Virginum & Martyrum autoxerēia castitatis tuendæ causa patrata, excusari potius, quàm ad imitationem trahi debet.

Sed & illa pagani juris dispositio ad Stoicam Philosophiam, cui pleriq; Jcti veteres fuerunt dediti, pertinet d. l. 6. §. 7. ibi: ut quidam Philosophi: ea enim vitam cum temporalibus & caducis contemnere imbuebantur, Vid. inter alios Seneca in lib. de providentiâ, & Justus Lipsius in manud. ad Stoicam Philosophiam.

Nec obstat ei, quod nemo videatur esse membrorum suorum dominus in l. liber ff. ad L. Aquil. Nam homonymia est in voce, dominus,



minus, cum enim actio directa L. Aquilia locum habeat in casu, quo  
servis, pecudibus, aut rebus in dominio nostro existentibus, damnum  
datum est, vel respectivè occiso eorum commissa, non v. obrimeat in  
personis liberis, vel in earum corpore membrisq. Ideò actione utili,  
vel in factum ad interesse pro damno illis illato experimur, non ra-  
tione estimationis, membri vel corporis occisi aut lasi, sed quatenus  
ejus opera ac usu caremus, sed & expensarum in curationem vel  
medelam & c. necessario vel utiliter factarum nomine, quo sensu in  
d. l. liber rectè ait J. C. neminem videri esse membrorum suorum do-  
minum: Cujus rationis ratio est, quod, sicut libertas estimari ne-  
quit l. libertas ff. de R. J; ita & homo liber, ejusq. membrum dire-  
ctam estimationem respuit.

Nec huic resistit l. ult. C. comm. de leg. ubi medicus minoris esti-  
matur, quàm eunuchus; hic sc. cum artificio septuaginta solidis; ille  
duntaxat sexaginta, cum tamen Medici libertate & singularib. im-  
munitatibus in jure gaudeant l. Medicos & t. C. de Professor. &  
Medic. l. archiatros C. de metatis, & passim: At hoc facile est so-  
lutu; Siquidem Imp. ibi de servis medicis estimandis loqui-  
tur: Ex variis etenim juris articulis constat, medicorum condi-  
tionem olim servilem fuisse l. 25. S. 2. & l. seq. ff. de oper. libert. l. 41.  
S. 6. de fideicom. libertat. & c. Hodie verò eorum facultas & condi-  
tio non libera minis ac honora coruscet, quàm generi humano per-  
quàm necessaria est. Et quia vita & fama paribus passibus ambu-  
lant arg. l. justa ff. de manum. vind. non minor hujus, quàm illius  
illibata custodienda libertas, ita ut utriusq. tuitio defensioq. sive  
per modum retorsionis, sive injuriarum actione seu salubri L. diffa-  
mari C. de ingen. manum. nulli non activè & passivè sit conceden-  
da, etiam officio judicis, si forte an ob paupertatem tela judiciaria  
legitimè pertexenda, cum primis reus conventus sit impar, si namq.  
servis hoc indulgetur d. l. 19. ff. de pœnis, quantò magis liberis, quo-  
rum adjectione imperium suum ampliare malunt boni Principes,  
quàm pecuniarum copia, ut ait D. Hadrianus in S. si plures l. cum  
ratio ff. de bon. damnat. Etsi in Christi scholâ, sen, ut nostri loquun-  
tur,

eur, in foro poli conducibilius sit, divinam constitutionem & preceptum Matthæi 5, 18. fac. Rom. 14, 1. Cor. 2, 1. Petr. 2. circa injuriarum actionem & remissionem secularibus respectibus anteferre, cum aliis etiam verba Evangelij ad decisionem causarum inservant. Abb. Panorm. in c. estote n. 2. X. de R. J.

De bonorum externorum libertate hoc è trivio repetendum obiter, cuius liberam de iis disponendi facultatem l. in re mandata C. mandat. nisi eorum usu vel abusu sit interdictum, ut inter alios pupillis, minoribus, furiosis, prodigis, & generaliter expedit Reipubl. ne re sua quis malè utatur §. 2. Instit. de his qui sui vel al. jur. sunt. Hinc & Dominus & Vasallus seviendo, deglubendo vel alio modo abutens suis subditis, aut maritus suà uxore pœnam præpationis, & respectivè separationis incurrit, qua de re Gail. 1. obs. 16. per tot. Alias bona communia & publica publico usu libera esse debent, ut inter alia aer & mare, de quo vid. eruditiss. tractatus Hug. Grotij de mari libero. Deinde libertas prædiorum in dubio præsumitur l. si prius ubi Jason. n. 40. de oper. nov. nunc. l. alius C. de servit; Ideo servitutem alleganti onus probandi incumbit.

Porrò bonorum libertas non in eo solum consistit, ut in proprium usum & genium possidentes ea convertant, sed ut iis post Deum, Principi quoq; vel Reipubl. inserviant, & ad necessitates communes contribuunt. Quod ampliatur, ut locupletiores cum pauperibus, tum & Reipubl. Principivè earundem respectu subsidia ferre, & mutuas pecunias dare cogi possint, Cachera. decis. 91. Vasq. lib. 1. de success. c. 6. n. 7. Glock. de contrib. concl. 24. Besoldus in tr. de arario c. 4. sect. 19. Hac tamè restrictione, ut utrobique justæ symmetriæ & equalitatis habeatur ratio, aliàs n. injustè collectantes Tartareis pœnis perpetuo cruciari, nisi satisfecerint, ait Rebusfus in l. eum qui de V. S. Besold. d. tr. de arario d. c. 4. sect. 2. n. 2. ubi prolixius de calamitatibus, quæ injustas exactiones comitantur, agit. Verùm cum de hac symmetriæ contributoria materia superiori a. no ad l. si ita scriptum 13. ff. de lib. & post. juncta l. Clemens ff. de hered. instit. occasione analogiarum seu proportionum justitiæ  
ibi,

ibi, & in alijs juris nostri passibus passim occurrentium plura diximus, cramben bis coctam reponendi radium merito declinemus.

Breviter, tutissima parentium vel subditorum libertas non tam naturalis & divina, quam civilis est, ut Deo, Legi, Regi, vel legitimo Magistratui, quamvis δυσκόλω asperovē pareant: Quemadmodum enim sterilitatem & nimios imbres, & cætera naturæ mala; ita & luxum, avaritiam, ut iterum Taciti verbis insistamus, & asperos dominantium mores ferre debemus. Idq; propter bonam conscientiam, immò jussu, & exemplo Dei ipsius Matth. 22, 17. 1. Pet. 2. Idcirco parere secundum leges & privilegia Magistratui, non officit libertati, sed eam potius tuetur & adauget. Deniq; sicut conservatio libertatis prædictæ benevolentia parit & amorē parentium; ita labefactatio & ereptio illius secum trahit multa mala, de quibus vid. Choquier in thes. polit. lib. 6, c. 11, & 12, ubi simul agit de remedijs retinenda & conservanda libertatis. Adam. Contius Jesuita 9. pol. 8. Joseph. Mattheaccius discurs. pol. 177. 180, & seqq. Hier. Frachetta in semin. polit. c. 33, per tot. Anibal Scot. in 4. Hist. Tac. p. 996.

Quo libertatis & propositi nostri paragraphos terminamus, eque mutuo principiorum & Principis D. Constantini, sed & Nostrorum & nostratum adloquio votum calidè reiteramus, ut ejus salus sit nostra salus, sitq; ὕπαπαντῆ devota Justiniani Imp. pietas meta, ut, quemadmodum is presentibus partim adversitatibus motus, majorum partim præsagiis incitatus ob imminenteis clades a verruncandas, ὕπαπαντῆς vel publicum obviationis festum instituit, sic DEO nostro pro libertate à Christo nobis parta, pro libertate civili, pro libertate animi, utriusq; scilicet pacis, tam interna quam externa solidius obtinenda gratia, in Spiritu & veritate, fufis precibus procedentes obviam Serenissimum simul

Electorem nostrum, Patriæ Patrem jugi fidelitatis

ac amoris obviatione comple-

ctamur.

¶

E

Sequuntur

*Sequuntur ejusdem Odae*

**A L C A I C A.**

**C**onfecta curis Marchia marcidis  
Ac intricata obnoxia sarcina,  
Infesta quam Bellona paci  
Artibus imposuit nocivis;  
Patrem cupisti planctibus ac prece  
Septemviralis supplice Patriæ,  
Quùm Pacis alma Prussicanam  
Arbitrio decoraret oram:  
Adest secundo næ! genitalibus  
Salvus reversus Numine climatis,  
Quem turbo nullus, nulla sortis  
Opprimit ancipiti procellâ:  
Gaudeto nitens præsidio **D E I,**  
Torcular abdens nube silentij,  
Vanescit actutum triorches  
Per bibulas velut unda arenas;  
Sunt flagra mundi, spongia sanguinis,  
Gens prona prædis inque scelus ruens,  
Ollasque despumat pudendas  
Vindice Jova truâ tremendâ.  
In civitate est exitij nihil  
Quod non ab alto manat, id exitus  
Depromit, aufert mucro, quicquid  
Adglomerat cumulatq; avarus.  
Porro fatiga, **M A R C H I A,** sobria  
Justâ, piâ aures æthereas prece,  
Lictâ figuræ tramâ, avitum  
Fulci animum refoveq; quassum.  
Coronet oram Teutonis enthea  
Irene aviti perpete copiâ  
Candoris, efflorescat exsors  
Quisquilijs pietas in Orbe.  
Florescat oris Imperij Pater  
**E L E C T O R** æquus, mitis & inclutus  
Fatis secundis atq; votis  
Unanimes Patriæ precamur.

**HETRUS**

## HE TRUSCA.

**C**Osì talhor fosca nuuola accoglie,  
Edi tuoni e strali stende la máno  
Dal ciel Iddio, e tempestade scoglie,  
Con che si turba lo distorto el piano,  
Mà più sereno poi l'irate voglie  
Tempra, e lo spauento caccia lontano,  
A i smarriti venti la forza toglie,  
E rende il mar quieto & a terre sano.  
Di Marte en Prussia fai cessar minaccie,  
Elettor glorioso, di tanto pondo  
Recò lode, doue libertà alberga,  
Sotto il gran Ferrando, a cui scetro e uerga,  
L'ubbedir e gloria, fra soda pace  
L'Elettor uiua, e con la Magna il mondo.

## CASTELLANA.

**E**Ntre arboles verdeçendo postrero  
El moral en frio en elado dura,  
Mas el almendro luego en hermosura  
Apparecendo flaueçe primero.  
Ansi, como el sabio moral cabero,  
Por trabajos y peligros madura,  
El varon cumblido d'alta cordura,  
Constante derecho viue sin fiero.  
Por hazañas, Gran Elector, por obras  
Gloriosas é tu vida ennoblecida,  
Hasta alas estrellas en cada suerte,  
Tus hechos sobrepujan mis palabras  
Qui seran eternos despues la muerte,  
Con tu nombre y con la Christiana vida.

## CELTICA.

CELTICA.

**C**hème Themis, chomez, chomez trois fois trois sœurs,  
Embrassez le nourrisson de doctes douceurs,  
Haussez vos esprits & recueillez chèrement  
L' Electeur porte-sceptre, d' Empire l'ornement;  
Imitant naïvement ses ancestres glorieux  
Il veille sans repos pour maintenir les loix  
En faisant esclaircir la foy immortelle  
Par son soing paternel dans son pais fidelle.  
Ce soleil flamboyant tourné du froid costé  
Jllustre ses sujets; leur chagrin a osté  
Ta presence peu a peu trempee de grace;  
Dieu Te conserve a jamais d' avec Ta Race.



ULB Halle 3  
003 499 200




SK

Vb 17









COMMENTA-  
RIUS

AD

Imperator ff. de ap-  
pellationibus.

Ex

PUBLICIS RELECTIONIBUS.

Auctore

ACO HERDESIANO J. U. D.  
& Pandectarum Professore.



C.

XXXI

ERICUM Gartman/TYPO-  
am & Bibliopolam in Inclutâ Electorali  
Brandenburgica Urbe Francofurtana.

1631

6

J. D. Joh. Hris